

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. Tvllii Ciceronis Opera Omnia

Cicero, Marcus Tullius

Basileæ, MDCLXXXII

In L. Catilinam III

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1133)

temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiiis omnibus: 1 postremo copiam cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione configit. In huiusmodi certamine ac proelio, nonne etiam si hominum studia deficient, dii ipsi immortales cogent ab his præclarissimis virtutibus, tot, & tanta vitia superari? 26. Quæ cum ita sint, Quirites vos, quemadmodum 2 jam antea dixi, vestra tecta custoditis, vigiliisque defendite: mihi, ut urbi sine vestro motu, ac sine ullo tumultu, satis esset præsidii, consultum, ac provitum est. Coloni omnes, municipisque vestri, certiores à me facti de hac nocturna excursionione Catilinæ, facile urbes suas, sineisque defendent: gladiatores, quam sibi ille maximam manum, & certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam patris patriciorum, 3 potestate tamen nostra continebuntur. Q. Metellus, quem ego prospiciens hoc, in agrum Gallicanum, Picenumque præmisi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus, conatusque prohibebit, reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis, jam ad senatum referemus, quem vocari videtis. Nunc illos, qui in urbe remanserunt, atque adeo qui contra urbis salutem, omniumque vestrum, in urbe à Catilina relictæ sunt, quamquam sunt hostes, tamen quia nati sunt civis, monitos etiam, atque etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc expectavit, ut id, quod latebat, erumperet. quod reliquum est, jam non possum oblivisci, meam hanc esse patriam, me horum esse consulem: mihi aut cum his vendit, aut pro his esse moriendum, nullus est portæ

custos, nullus insidiator vix: si qui exire vofant, consulere sibi possunt: qui vero in urbe commoverit, cuius ego non modo factum, sed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero: 4 sentiet in hac urbe esse consules vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse caecos: quem vindicem nefariorum, ac manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt. Atque hæc omnia sic agentur. Quirites, ut res maxima minimo motu pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum, ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum, ac maximum, me uno togato duce & imperatore, sedetur, quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit, 5 ut improbus quidem quisquam in hac urbe poenam sui sceleris sufferat. sed si vis manifesta audacis, si impendens patriæ periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerint: illud profecto perficiam, quod in tanto, & insidiolo bello vix optandum videtur, 5 ut ne qui bonus intereat, paucorumque poena vos jam omnes salvi esse possitis. Quæ quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis, & non dubiis deorum immortalium significationibus: quibus ego ducibus in hanc spem, sententiamque sum ingressus: qui jam non procul, ut quondam solebant, ab extero hoste, atque longinquo, sed hic præsentis suo numine, atque auxilio sua templa, atque urbis tecta defendunt: quos vos, Quirites, precari, venerari, atque implorare, debetis, ut, quam urbem pulcherrimam, florentissimam, potentissimamque esse voluerunt, hanc omnibus hostium copiis, terra, marique superatis, à perditissimorum civium nefario seelere defendant.

M. TULLII CICERONIS
IN
L. CATILINAM
TERTIA,
AD QUIRITES.
ORATIO VICESIMA PRIMA.
SYNOPSIS.

Narras quibus & quotum indicis Catilina, ejuſq; conjurati fuerint detulit. Gratias eo nomine sibi aſſa à ſenatu: Conjuratiõis 7000 in cuſtodiã commiſſos: ſibi ſupplicacionem à ſenatu decretam.



REPUBLICAM, Quirites, vitamque omnium vestram, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam, pulcherrimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium

summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculisque meis, ex flamma, atque ferro, ac pæne ex faucibus facti ereptam, & vobis conservatam, ac restitutam videtis. Et, si non minus nobis jucundi, atque illustres sunt à dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod sine sensu nascimur, cum voluptate conservamur: profecto

1. Postremo copia cum egestate. Ita Pall. omnes. Guelm. tamen melius putat copia, quod in Historicis præferbatque idem Medius.

2. Jam ante dixi. Tollit Moretus verbum dixi ex uno veteri, quod tamen omnes nostri aliorumque constantiter habent. divinabar itaque Guelm. jam ante edidit. & c.

3. Potestate tenet vestra auctoritate. Ita ferè m. n. nostri, prius cusi

per. tamen in vestra, quod si retinere volumus, at abjicienda tamen syllaba in, que neque in editionibus antiquis.

4. Sentiet in hac urbe esse consules vigilantes. Haud aliter Pall. at Coloniensis, consules vigilantes, quod venus arbitrat Guelm. tamen quam altero consule non patiente, inquit Mollus Epist. CIV.

5. Ut ne qui bonus intereat. Posthabuerim istud Manutiano, ut neque bonus quisquam intereat, quod paucissimis adest m. n.

Ab, quoniam illum, & qui hanc urbem condidit, Romulum, ad deos immortales benivolentia, fama que iustitiam: esse apud vos, posterisque vestris in honore debet is, qui eandem hanc urbem conditam, amplificatamque servavit. nam totius urbis templis, delubris, & relictis ac moenibus subjectos prope jam igneis, circumdatoque refleximus: iidemque 3 gladios in reipub. districtos retrudimus, mucronelque eorum à jugulis vestris 3. rejecimus. Quæ quoniam in senatu illustrata, patefacta, compertaque sunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites: ut & quanta, & quam manifesta, & qua ratione investigata, & comprehensa sint, vos, qui ignoratis, & expectatis, scire possitis. Principio, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, cum sceleris sui socios, hujusce nefarii belli acerrimos duces Roma reliquisset: semper vigilavi, & providi, Quirites, quemadmodum in tantis, & tam absconditis insidiis salvi esse possemus. Nam tum, cum ex urbe Catilinam ejiciebam (non enim jam vereor hujus verbi invidiam, cum illa magis sit timenda, quod vivus exierit) sed tum, cum illum exterminari volebam; aut reliquam conjuratorum manum simul exituram, aut eos 4 qui restitissent, infirmos sine illo, ac debiles fore 4. putabam. 5 atque ego, ut vidi, quos maximo furore, & scelere esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse, & Romæ remansisse: in eo omnes dies, noctisque consumsi, ut, quid agerent, quid molerentur, sentirem, ac viderem: ut, quoniam auribus vestris, propter incredibilem magnitudinem sceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, 6 ut tum demum animis salutem vestram provideretis, cum oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi, legatos Allobrogum, belli Transalpini, & tumultus Gallici excitandi causa, à P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos civeis, eodem itinere, cum litteris, mandatisque, ad Catilinam esse missos, comitemque iis ad junctum Vulturcium, atque huic datas esse ad Catilinam litteras: facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam à diis immortalibus, tota res non solum à me, sed etiam à senatu, & à vobis manifestè deprehenderetur. Itaque hæsterno die L. Flaccum, & C. Pomponium prætores fortissimos, atque amantissimos reipub. viros, 7 ad me vocavi: rem omnem exposui: quid fieri placeret ostendi. Illi autem qui omnia de reipub. præclara, atque egregia tenent, sine recusatione, ac sine ulla mora negotium susceperunt, & cum advesperasceret, occultè ad pontem Mulvium pervenerunt: atque ibi in proximis villis à bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos, & pons interesset. Eodem autem & ipsi sine cuiusquam suspitione multos fortes viros eduxerunt, & ego ex præfectura Reatina complatis delectos adolescentis, 8 quorum opera utor assidue in reipub. præsidio, cum gladiis miseram, Interim tertia ferè vigilia

exacta, cum jam pontem Mulvium cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius: sit in eos impetus: educuntur & ab illis gladii, & à nostris res erat prætoribus nota solis: ignorabatur à ceteris. Tum intervenit Pomponius, atque Flaccus, pugna, quæ erat commissa, sedatur. littera, quæcumque erant in eo comitatu, integris signis, prætoribus traduntur: ipsi comprehensi, ad me, cum jam dilucesceret, deducuntur. Atque horum omnium scelorum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium, statim ad me, nihil dum suspicantem, vocavi. Deinde idem arcessit P. Statilius, & post eum C. Cethegus, tardissimè autem Lentulus venit, credo quod litteris dandis, præter consuetudinem, proxima nocte vigilaret. Cum verò summis, ac clarissimis hujus civitatis viris, qui, audita re, frequentes ad me mane convenerent, litteras à me prius aperiri, quam 10 ad senatum referrem, placeret: ne, si nihil esset inventum, temerè à me tantus tumultus injectus civitati videretur: negavi me esse facturum, ut de periculo publico, non ad consilium publicum rem integram deferrem. Et enim, Quirites, si ea, quæ erant ad me delata, reperta non essent: tamen ego non arbitraber in tantis reipub. periculis mihi esse vimiam diligentiam peritimescendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidistis, coegi. Atque interea statim admonitu Allobrogum, C. Sulpicium, prætorem, forem virum, misi, qui ex rebus Cethegi, si quid telorum esset, efferret, ex quibus ille maximum scitarum numerum, & gladiatorum extulit. Introduxi Vulturcium sine Gallis: sibi mihi publicam, iussu senatus, dedi: hortatus sum, ut ea, quæ sciret, sine timore indicaret. Tum ille, cum vix se ex magno timore recepisset, dixit: à P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata, & litteras, ut servorum præsidio uteretur, & ad urbem quamprimum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, cum urbem omnibus ex partibus, quemadmodam descriptum, distributumque erat, incensissent, eademque insinuatam civium fecissent: præsidio esset ille, qui & fugientes exciperet, & se cum his urbanis ducebus conjungeret. Introduciti autem Galli, iusjurandum sibi, & litteras à P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atque ita sibi ab his, & à L. Cassio esse præscriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent: pedestres sibi copias non defuturas: Lentulum autem sibi confirmasse 12 ex fati Sibyllinis, auspiciisque responsis se esse tertium illum CORNELIUM, ad quem regnum hujus urbis, atque imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se, & Sullam fuisse: eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum hujus urbis, atque imperii, qui esset decimus annus post virginum abolitionem, post Capitolii autem incensionem viceffimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse.

Ee 5

se dixit.

1. *Qui hanc urbem condidit Romulum.* P. Manutius omisit Romulum; quod indicasset Muretus abuisse ab uno enst. suorum. & vero non comparat in Hist. sed tamen cum restet in cor. aliis nostris, non excurbavi.
2. *Tertia ac moenibus subjectis.* Ita Pal. sec. Ah. Hitt. & Vverd. neq. se-cus editio antiquissima. posteriores, tertia omnibus subjectis. Ald. Manu-tius nepos publicavit, tertia omnibus ac moenibus subjectis, minus rectè.
3. *Gladios in reipub. districtos retrudimus.* In Colon. erat, retrudimus, unde lubens fecerit Gulielmus, retrudimus: quamvis fuerat qui anue-tarum sigillo libro retrudimus.
4. *Qui restitissent.* Ita prima quoque editio, ita Victorina, ne hoc forte sibi Lambiniana arroget med. ætatis, remansissent.
5. *Atque ego ut vidi, quos.* Lectio impedita. pendens enim isthæc adducit à lupen. oribus. itaque vix, est, ut non debeat referri cum Pal. sec. atque Hitt. atque ego vidi, &c. ita Plautus: Dum circumspicitis, atque ego tum lambon. conspicitis. &c. tota enim illa oratio huic simillima est.
6. *Ut tum demum animis salutem vestram.* Est à Victoriana, & antiquiori-bus. prima tamen non habet illud animis; neque existit in Pal. sec. nisi à manu recent. sed & in nono erat, ut tum demum omnis vestra salutem.

adeo ut suspicet illud animis, esse à manu mala.

7. *Ad me vocavi.* Liber Gal. Abalz, quo usus Gulielmus, eantem habebat pro his, advesperis, forsitan rectè.8. *Quorum opera uter præsidio in reipub. præsidio.* Adnotatum erat in eodem Abalz libro, à viro quodam docto, adfuit reipub. præsidio, optime.9. *Credis quod litteris dandis prætor, &c.* Pal. sec. Ah. Hittorp. Vverd. in litteris, sed malim quod est in Pal. sexto ac nono; credis quod in litteris tu prætor, &c. sine voce dandis.10. *Ad senatum referrem placeret.* Est à Pal. sec. non Vverd. & libris Mureti. neque aliter in excusis à Manutio aut Lambino. prius editi, referret.11. *Tum illa, cum vix se ex magno timore recepisset, dixit.* Est à libro Mureti. mallem adhuc abesse, dixit, vulgati retrudimus, quod in nostris scriptis ad unum omnibus.12. *Ex fati Sibyllinis.* Carro lib. III. Antiq. lect. cap. 6. emendat ex Gembl. fatiis, quod & inventum in Hitt. in Vverd. Gulielmus sequitur, tam heic quam infra ego tuor receptam ob rationes prædictas ab amico nostro Iesephe Caraliene libro I. Observ. cap. 3. qui adeatur.

se dixerunt: quod, Lentulo, & aliis, Saturnalibus eadem fieri, atque urbem incendi placeret; Cethego nimium id longum videri. Ac, ne longum sit, Quirites, 2 tabellas proferri iussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego signum: cognovis. 3 nos linum incidimus: legimus, erat scriptum ipsius manu; Allobrogum senatui, & populo, sese, quæ eorum legatis confirmasset, esse facturam: orate, ut item illi facerent, quæ sibi legatis eorum præcepissent. Tum Cethegus, 4 qui paulo ante aliquid de gladiis, ac sicis, quæ apud ipsum erant deprehensæ, respondisset, dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse: recitatis literis debilitatus, atque abjectus, consentiæ convulsus, repente conticuit. Introductus Statilius, cognovit manum, & signum suum. Recitata sunt tabellæ in eandem ferè sententiam: consensus est. Tum ostendi tabellas Lentulo: & quævisi, cognoscere signum. Annuat. Est verò, inquam, si gnium quidem notum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam, & civis suos: quæ quidem te à tanto scelere etiam muta revocare debuit. Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum, populamque litteræ, si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primò quidem negavit, post autem aliquanto, toto jam indicio exposito, atque edito, surrexit: quævisit à Gallis, quid sibi esset cum iis: quam obrem domum suam venissent; itaque à Vulturcio, qui cum illi breviter, constantique respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent: quævisentque ab eo, nihilne secum esset de fati Sibyllinis locutus: tum ille subito, scelere demens, quanta consentiæ vis esset, ostendit. nam, cum id posset initiari, repente præter opinionem omnium confessus est. ita eum non modò ingenium illud, & dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam propter vim sceleris manifesti, atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque; defecit. Vulturcius vero subito proferri litteras, atque aperiri iussit, quas sibi à Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissimè perturbatus Lentulus, tamen & signum suum; & manum cognovit, erant autem scriptæ sine nomine, sed ita: QVI SEM, EX EO, QVEM AD TE MISI, COGNOSCES. CVRA, VT VIR SIS, ET COGITA. QVEM IN LOCVM SIS PROGRESSVS: ET VIDE, QVID IAM TIBI SIT NECESSE. CVRA, VT OMNIVM TIBI AVXILIA ADIVNGAS, ETIAM INFERIORVM. Gabinus de inde introductus, cum primò impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis, quæ Galli insinulabant, negavit. Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certissima sunt viâ argumenta, atque indicia sceleris, tabellæ signa, manus, denique uniuscuiusque confessio: tum multo iâ certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas, sic enim obituperant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnumquam inter se aspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed ipsi à se viderentur. Indicis expositis, atque editis, Quirites, senatum consului 5 de summa reip. quid fieri placeret. Dictæ sunt à principibus acertimæ, ac fortissimæ sententiæ, quas senatus sine ulla varietate est consecutus. Et quoniam nondum est perscriptum S. C. ex memoria vobis, Quirites, 6 quid senatus censuerit, exponam. Primum mihi gratiæ verbis amplissimis aguntur, QVOD VIRTUTE, consilio, providentia mea, resp. periculis sit maximis liberata:

deinde L. Flaccus, & C. Pontinus, prætores, QVOD RVM opera forti, fidelique usus essem, merito, ac iure laudantur: atque etiam viro forti, 7 collegæ meo, laus impertitur, QVOD EOS, qui huius conjurationis participes fuissent, à suis, & reip. consiliis removisset. atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, cum se prætura abdicasset, tum in custodiam traderetur: itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinus, qui omnes præsertes erant, in custodiam traderentur, atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procuratorem incendendæ urbis depoposcerat: in M. Capranium, cui ad sollicitandos pastores, Apuliam esse attributam, erit indicatum: in P. Furium, qui est ex his coloniis, quas Fetulus L. Sulla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio senatus erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus: in P. Umbrenum, libertinum hominem, à quo primò Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atque ea lenitate sententia est us, Quirites, ut ex tanta conjuratione, tantaque vi, ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum poena, rep. conservata, reliquorum mentis sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est, Quirites: quid mihi primò post hanc urbem conditam iogsto contigit, & his deicita verbis est, QVOD VRBEM INCENDIIS, CASIBUS CIVIS, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quæ supplicatio si cum ceteris confiratur, Quirites, hoc interfit, quod ceteræ bene gesta, hæc una, conservata republ. constituta est. Atque illud, quod faciendum primò fuit, factum atque transactum est. nam P. Lentulus, quamquam patefactus indicis, & confessionibus suis, iudicio senatus, non modò prætoris jus, verum etiam ævis amiserat: tamen magistratu se abdicavit, ut, quæ religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatum erat decretum, prætorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo patiendò liberaremur. Nunc quoniam, Qui-rites, sceleratissimi, periculosissimique belli nefarios duces captos iam, & comprehensos tenetis, existimare debetis, omnes Catilinæ copias, omnes spes, atque opes, his depulsis urbis periculis, considisse. Quem quidem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassi adipem, nec Cethegi furiosam temeritatem perimiscendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, sed tandem, dum moribus urbis continebatur, omnia notat, omnium a ditus tenebat: appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat: erat ei consilium ad facinus aptum, consilio autem nequæ lingua, neque manus deerat. jam ad ceteras res conficiendas certos homines delectos, ac delectos habebat: neque verò cum aliquid mandaverat, confectum putabat. nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: fignus sitim, tamen ferre poterat. Hunc ego hominem tam ærem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigiliantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrensē latrocinium compulsissem (dicam id, quod tenuo, Quirites) non faciliè hanc tantam molem mali à cervicibus vestris depulsissem. Non ille vobis Saturnalia constitisset, neque tanto ante exitium, ac fati diem reip. denuntiasset,

1. Dicit Lentulo, & alio (pr. longum videri.) Ita tres Pall. & Hittorp. Vverd. nec non edito princeps, nisi quod ei desset illud & alio, prius impetis: quod cum Lentulo & ceteris & pr. longum videri.

2. Tabellæ proferri iussimus.] Brey us & melius Colon. tabellæ proferimus.

3. Nos linum incidimus.] Ita Pal. decimus, & editionum prima. alii nisi, signum, quod placuit Gulielmo, ex Hitt. & Fabr. ego nihil muro.

4. Qui paulo ante aliquid de gladiis, etc.] Pall. duo & Hitt. & Vverd.

aliquid semen: absque quo manca & frigida sententia est, inquit Gulielmus.

5. De summa reip.] Lambinus rep. consulatur Cujacius lib. XII. Observe. cap. 32.

6. Quod senatus censuerit exponam.] Forlan exponam, annotatum à Gulielmo.

7. Collegæ meo laus impertitur.] Alii interferunt, C. Antonis, sed huius nullum vestigium in editione prima, non magis quàm in Pall. tribus & Vverd. Hitt. Ah.

nuntiasset, neque commississet, ut signum, 1 ut littera-
 lux testes denique manifesti sceleris deprehenderentur. quæ
 nunc, illo absente, sic gesta sunt, ut nullum in privata do-
 mo furtum unquam sit tam palam inventum, 2 quam hæc
 tanta in tempore conjurationis, manifeste inventa, atque de-
 prehensa est. Quod si Catalina in urbe ad hanc diem re-
 mansisset: quamquam, quoad fuit, omnibus ejus consiliis
 occurrere atque obstiti, tamen, ut levissime dicam, dimi-
 candum nobis cum illo fuisset, neque nos unquam, dum
 ille in urbe hostis fuisset, tantis periculis temp. publ. tanta
 18 pace, tanto otio, tanto silentio, liberasset. Quamquam
 hæc omnia, Quirites, ita sunt à me administrata, ut deo-
 rum immortalium nutu, atque consilio & gesta, & provisa
 esse videantur. idque cum conjectura conieci possumus,
 3 quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gu-
 bernatio esse potuisse: tum verò ita præsentis his tempo-
 ribus opem, & auxilium nobis tulerunt, ut eos parè oculis
 videre possemus. Nam, ut illa omitam, visas nocturno
 tempore ab occidente facies, ardoremque cæli, ut fulmi-
 num jactus, ut terræ motus, ceteraque, quæ tam multa,
 nobis consulibus, facta sunt, ut hæc, quæ nunc sunt,
 cadere dii immortales viderentur: hoc certè, Quirites,
 quod sum dicturus, neque prætermittendum, neque re-
 linquendum est. nam profectò memoria tenetis, & Cota,
 & Torquato Coss., 4 complures in Capitolio turris
 de celo esse percussas, cum & simulachra deorum immor-
 talium depulsa sunt, & statux veterum hominum de-
 jectæ. & legum æta liquefacta: tactus est etiam ille, qui
 hanc urbem condidit, Romulus: quem in autum in Ca-
 pitolio parvum, atque lætènem, uberibus lupinis inhi-
 tem fuisse meministis. Qui quidem tempore, cum aru-
 spices ex tota Etruria convenissent cædeis, atque incen-
 dia, & legum interitum, & bellum civile, ac domesti-
 cum, & totius urbis, atque imperii occasum appropinqua-
 re dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati, suo
 20 numine propè fata ipsa flexissent. Itaque illorum responsis
 tunc & Iudi decem per dies facti sunt, neque res ulla, 5 quæ
 ad placandum deos pertinere, prætermissa est, idemque
 jussèrunt, simulachrum Jovis facere majus, & in excelso
 collocare, & contra, atque ante fuerat, ad orientem con-
 vertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod vi-
 detis, solis ortum, & forum, curiamque conspiceret,
 fore, ut ea consilia, quæ clam essent inia contra salu-
 tem urbis, atque imperii, illustrarentur, ut à S. P. Q. R.
 perspicere possent. Atque illud 6 ita colloquendum consi-
 les illi statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, 7 ut ne-
 que à superioribus consulibus, neque à nobis ante hodie-
 22 rum diem collocaretur. Hic quis potest esse Quirites
 tam aversus à vero, tam præceps, tam mente captus, qui
 neget, hæc omnia, quæ videmus, præcipueque hanc ur-
 bem, deorum immortalium nutu, atque potestate admi-

nistrari? Etenim cum esset ita responsum, cædeis, incen-
 dia, interitumque reip. comparari, 8 & ea à perditis ci-
 vibus, quæ tum propter magnitudinem scelerum non-
 nullis incredibilia videbantur: ea non modo cogitata à ne-
 fariis civibus, verum etiam suscepta esse sensitis. Illud
 verò nonne ita præfens est, ut nutu Jovis opt. max. fa-
 ctum esse videatur, ut, cum hodierno die manè per forum
 meo jussu & conjurati, & eorum indices in ædem Con-
 cordiæ ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur?
 quo collocato, atque ad vos, senatumque converso, omnia
 & senatus, & vos, quæ erant 9 contra salutem omnium
 cogitata, illustrata, & patefacta vidistis. Quo etiam majo-
 re sunt isti odio, supplicioque digni, qui non solum vestris
 domiciliis, atque testis, sed etiam deorum templis, atque
 delubris sunt funestos ac nefarios igneis inferre conati:
 quibus ego si me resistisse dicam, nimium mihi sumam,
 & non sum ferendus, ille, ille Jupiter resistit: ille Capito-
 lium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omnes
 salvos esse voluit. diis ego immortalibus ducibus hanc men-
 tem, Quirites, voluntatemque suscepi, atque ad hæc tanta
 indicia perveni. Jam verò illa Allobrogum sollicitatio,
 sic à Lentulo, ceterisque domesticis hostibus, tanta res,
 tam dementer credita & ignota, & barbaris, commissæque
 litteræ numquam essent profectò, nisi à diis immortalibus
 huic tanta audaciæ consilium esset ereptum. Quid
 verò? ut homines Galli ex civitate malè pacata, quæ gens
 una restat, quæ populo R. bellum facere & posse, & non
 nolle videatur, spem imperii, & rerum amplissimarum
 ultrò sibi à patriciis hominibus oblatam negligenter, ve-
 stramque salutem suis opibus anteponerent: id nonne di-
 vinitus factum esse putatis? præsertim qui nos non pu-
 gnando, sed tacendo superare potuerunt? Quamobrem,
 Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio de-
 creta est, celebratore illos dies cum conjugibus ac liberis
 vestris. Nam multi sæpe honores diis immortalibus jussi
 habui sunt, ac debiti, sed profectò justiores numquam:
 erepti enim ex crudelissimo, ac miserrimo interitu, &
 erepti sine cæde, sine sanguine sine exercitu, sine dimicatio-
 ne, togati, me uno togato duce, & imperatore, vicistis.
 Etenim recordamini, Quirites, omnes civileis dissensio-
 24 nes, neque solum eas, quas audistis, sed & has, quas vos
 mei ipsi meministis, & vidistis: L. Sulla P. Sulpicium op-
 pressit: ex urbe eiecit C. Marium, custodem hujus urbis:
 multosque fortes viros partim eiecit ex civitate, partim
 intermit. Cn. Nævius, Cos. armis ex urbe collegam
 suum expulit. omnis hic locus acervis corporum, & ci-
 vium sanguine redundavit. Superavit postea Cinna cum
 Marlo, tum verò, clarissimis vitis interfecit, lucina civi-
 tatis extincta sunt. Ulus est hujus victoriæ crudelitatem
 postea Sulla, ne dici quidem opus est quanta deminutione
 civium, & quanta calamitate reipubl. Dissensit M. Lepi-
 dus

1. *Ut littera sua testis denique man. etc.* Absent à Basilicano denique,
 libente Gualtelmio, ut litteras dicat testes manifestas sceleris. & certè,
 additis Catalina cavere non potuit, ne à testibus & conciliis procederet,
 ne litteræ fax deprehenderentur id potuit. sic ille: ac idem sensus res-
 fertur ex scriptura vulgaris, juxta nostram distinctionem; reperire
 illud denique in omnibus Pall. editionibusque.
 2. *Ut in totum temp. conjur. quod & adnotatum ad Vict. codicem.*
 3. *Quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse.*
 Est ab editione V.ctorii, quam secutus Muretus, Lambinus, & anu. us.
 antiquus cuss, quod vix videtur humani consilii tantam molem rerum gu-
 bernatio consuegi potuisse, quomodo Pal. dec. non non. lex. see. can-
 tate. Eisdem habet; humani consilii tantarum molem rerum gubernatio con-
 suegi potuisse. unde legebat paucis transpositis verbis. Sui tidus noster,
 quod vix videtur humani consilii gubernatio tantarum molem rerum consuegi pot.
 Cujacius d. cap. 32. f. legebat ex ml. quod vix videtur humani consilii
 tantam molem rerum gubernatio consuegi pot.
 4. *Complures in Capitolio turris.* Non temerarium videtur, quod in

Pall tribus in Vverd. in Fabr. restet, res, non turris. editi tamen non
 variant. & mea quidem opinio verius, res.
 5. *Quæ ad placandum Deo.* Plotique mss. plæ. andæ. at Colon. quæ ad
 supplicandum pertinet. forte, inquit Gualtelmius, quæ ad supplicandum per-
 tinet, quamvis libentius fecerit, ad supplicia Deorum pertinet.
 6. *Ita collocandum consilium illi locaverunt.* Haud aliter mss. nostri
 potiores; quomodo item è scripto suo emendandum monuerat dudum
 Cujacius cap. 32. f.
 7. *Ut neque à superioribus Coss. neque à nobis, etc.* Gualtelmius am-
 plectitur Colon. scripturam; neque superioribus Coss. neque nobis. etc.
 hoc est, neque hoc neque superiore anno. putatque hæctenus locum
 non fuisse intellectum. à conditoribus enim rem fuisse collocandam,
 non à consulibus. vulgata mihi satisfacit. magistratus enim ipsemet
 facere videtur quod per suos expedit.
 8. *Et ea à perditis civibus.* Perplacet quod est in Colon. & ea per ci-
 ves: utique cum & sic alias legatur in Fabriciano.
 9. *Contra salutem omnium cogitata.* Auctor Basilicanus, contra sena-
 tum & salutem omnium.

du. à clarissimo. & fortissimo viro Q. Catulo, attulit non tam ipsius interitus reip. luctum, quam ceterorum. 1. Atque illæ disensiones erant huiusmodi, Quirites, quæ non ad defendendam, sed ad cominutam rempub. pertinerent. non illi nullam esse romp. sed in ea, quæ esset, se esse principes: neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe 25. florere voluerunt. Atque illæ tamen omnes disensiones, quarum nulla exitium reipubl. quaesivit, eiusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordia, sed internicione civium diducate sint. In hoc autem uno post hominum memoriam maxime, crudelissimoque bello, quale bellum nulla umquam barbaria cum sua gente gessi: quo in bello lex hæc fuit à Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, ut omnes, qui salva urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur: ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservaremini: & cum hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinita 26. cædi restitisset: tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuisset: & urbem, & civis integros, incolumemque servavi. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullam ego à vobis præmiæ virtutis, nullam in signe honoris, 2. nullam monumentum laudis postulo, præterquam huius diei memoriam sempiternam. in animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi. & collocari volo. nihil me matum potest delectare, nihil tacitum. nihil denique huiusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostræ res alentur, sermonibus crescent, litterarum monumentis 3. inveterascent, & corroborabuntur: 4. eandemque diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem urbis, & ad memoriam consulatus mei, propagatam: unoque tempore in hac repub. duos civis existisse, quorum alter finis vestri imperii, non terræ, sed cæli regioni bus terminaret: alter ejusdem imperii domicilium, se- 27. denique servaret. Sed, quoniam earum rerum, quas ego

gessi, non est eadem fortuna, atque conditio, quæ illorum, qui externa bella gesserunt: quod mihi videndum sit cum illis, quos vici, ac subegi: isti hostes aut interfectos, aut oppressos reliquerunt: vestrum est, Quirites, si ceteris rebus facta profunt, mihi mea nequando obfusa, providere. mentes enim hominum audacissimorum scelerate, ac nefariz ne vobis nocere possent, ego providi: ne mihi noceant, vestrum est providere. quæquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil jam ab istis noceri potest. 4. magnum enim est in bonis præsidium, quod mihi in perpetuum comparatum est, magna in repub. dignitas, quæ me semper tacita defendet: magna vis est em- 5. sistentia, quam qui negligunt, cum me violare volent, se ipsi indicabunt. Est etiam in vobis is animus, Quirites, ut non modò nullius audacia cedamus, sed etiam omnes improbos ultrò semper laceffamus. Quod si omnes impetus domesticorum hostium depulsi à vobis, se in me unum converterint: vobis erit providendum, Quirites, qua condicione posthac eos esse velitis, qui se pro salute vestra obtulerint invidiz, periculisque omnibus. Mihi quidem ipsi quid est, quod jam ad vita fructum possit acquiri, præsertim cum neque in honore vestro, neque in gloria virtutis, quidquam videam altius, quod quidem mihi libeat ascendere? Illud perficiam profectò, Quirites, ut ea, quæ gessi in consulatu, privatus tuear, atque ornem: ut, si qua est invidiæ in conservanda rep. suscepta, lædaz invidos, mihi valeat ad gloriam. denique ita me in vep. tractabo, ut meminere semper quæ gesserim, curemque ut ea, virtute, non casu, gesta esse videantur. Vos, Quirites, quoniam jam nox est, veneramini illum Jovem, custodem huius urbis, ac vestrum, atque in vestra testa discendite: & ea, quamquam jam periculum est depulsum, tamen 5. æque, ac priori nocte, custoditis, vigilisque defendite. id ne vobis diutius faciendum sit, atque ut in perpetua pace esse possitis, 6. providebo.

M. Tvl.

1. Atque illæ disensiones erant huiusmodi, &c.) Editio verus, Atque illæ disensiones erant huiusmodi, &c. in Pal. sec. & non. nam dec. item Hirtorp. atque in illa omnes dis. habent isthæc adjecta plurimum energie.

2. Nullam monumentum laudis postulo.) Gohelmus malebat cum Vverd. & Hirt. postulo; quomodo item erat in Pal. sec. sext. nono, & editione prima. nam dec. & deinde excussant à vulgato, quæ mihi venustior visa.

3. Eandemque diem intelligo quam spero æternam fore, & ad salutem, &c. meæ propagatam.) Ita omnes Pall. & impressi. at alio pœna. & serlan

stimiori ac significantiori. Col. fire, propagatam esse & ad sal. consulatus mei.

4. Magnum enim est in bonis præsidium.) Revocavi vocem istam à renebus, siue editionis veteris. Palatinorum trium, & Erfurd. Hirt. ac Vverd. prius fuerat in vobis; quod quid dilutius?

5. Equè ac priori nocte, custoditis.) Est à Pal. sec. neque aliter editus ab P. Victorio. posteriores, vobis scilicet, custoditis. inulite.

6. Providebo.) Pall. omnes item eod. nec non Hirtorp. Fabr. Vverd. adijciunt, Quirites.